



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Palatinus Elector & Dux VVirtembergicus Caesari reconciliantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

II. Ut vero Dux VVirttembergicus primus arma contra Imperatorem ceperat, exercitumque produxerat, sic idē primus ex rebellibus subiugatus & victus, abiectis armis, belli fortunam non amplius experiri decreuit. Postquam enim exercitum à sua ditione non procul abesse, se vero tædio rerum suarum & morbo confectum, tum federatorum res malè procedere, & tam validas copias veluti niuem à solis æstu disparuisse animaduertit: primo quidem in arcem natura inexpugnabilem sese recepit: deinde missis internuncijs, veniā à Cæsare petijt, quæ ei negata, nisi se suasque fortunas omnes, totamque prouinciam sine conditione Cæsari dederet, vt de ijs ipse statueret pro suo arbitratu. His percussus miser Huldricus suppliciter & demisse admodum Cæsari scribit, *miseriam eius implorans, & per Christi amorem obsecrans ne in se suosque miseros subditos grauius aliquid statuat.* Tandem Cæsar ei ignouit his conditionibus: *vt supplex factus publice gratiam à Cæsare petat, vt dependat aureorum millia trecenta, vt tormenta foeciorum, relicta in suis finibus cum omni instrumento tradat, vt ab omnibus federibus discedat &c.*

Eodem fere tempore Elector Palatinus Fridericus, Halam ad Cæsarem profectus, culpam sibi condonari petit, quod Smalcaldicis ad Ingolstadium castra habentibus auxilia misisset, non ipsius oppugnandi causa uti dicebat, sed quod ex federe priuato VVirttembergico ad hoc teneretur. (a) Cæsar acerbis eum verbis accipit, ignoscit tamen, & vt errorem hunc atque culpam in posterum accuratiori fide compenset, hortatur. Miserabile plerisque videbatur, tantæ potentie & auctoritatis è Bauarica familia Principem, Imperatoris genus affinitatē contingentem, videre nudatis canis, multis cum lacrymis veniam à Cæsare quam humiliter petentem. Mansuetudine hæc & clementie Cæsaris, ad ignoscendum quam ad puniendum longe propensioris, plerique Germaniæ Principes & ciuitates Germaniæ allectæ, eius fidei & obsequio totas sese dederunt.

III. Ex ciuitatibus Vlmenses magnæ potentie & auctoritatis, primi Cæsari fuerunt reconciliati: centum aureorum millibus & duodecim tormentis multati. Post hos in gratiam Francofurtenses recepti sunt, de pensis aureorum viginti millibus. Scribit Alcantaræ Commendator, quum Landgravius illac domum è bello properaret, & Senatus ab eo quid porro faciendum esset quæreret, illum respondisse; *Cuiuslibet vulpi caudam suam bene*

custodiendam. Cattum quoque suis rebus non desuturum sicque insoluto hoc ænigmate, ab ipsis discessisse. Horum exemplum sequuti Memingenfes, quinquaginta aureorum millibus multati sunt. Post hos diuersis conditionibus in gratiam recepti Biberacenses, Rauenspurgi, Campodunenses, Lindauii, Eslingenfes, & Augustani. Ad hos Sebastianus Schertelinus, qui Protestantibus militauerat, primum, deinde quum omnem sibi spem veniæ præcisam animaduertisset, ad Heluetios profugit. Augustanis centum & viginti aureorum millia & duodecim tormenta imperata. Tandem etiam Argentinenfes cum Cæsare transegerunt, persolutis triginta aureorum millibus, & traditis duodecim tormentis. Sic igitur pleræque omnes Imperij ciuitates ad Cæsaris obedientiam redierunt. Saxo vero & Landgravius, quos plerique antea summos federe duces agnoscebant, hostes publici sunt denunciati. In quo admirabilis rerum humanarum inconstantia, & in primis vulgi, quod secundam fortunam velut heliotropium solem sequitur, & ad quamuis auram circumagitur, mutabilitas apparuit. Quem admodum autem victoriæ multo sanguine partæ laus magna ex parte militum virtutis, sic incruentæ gloria soli Imperatoris prudentiæ debetur. Carolus certe Cæsar nulla re maiorem laudem assequutus est, quam quod ciuitatum legatos supplices ad se venientes humaniter excepit, & plerisque ignouit, sic tamen vt imperata facerent. Duo soli restabant, Saxo & Landgravius. Et hic quidem vt erat magno & feroci animo, quamuis Elector Brandeburgicus sollicitè pro ipso intercederet, aliquandiu pertinaciter egit, certis propositis conditionibus in quas, non in alias, pacem facere vellet. At Cæsar eodem modo illum quo VVirttembergicum tractare constituerat, eoque Brandeburgicum monuit, vt nisi Landgravius absque vlla conditione se dederet, ab omni porro desisteret actione.

IV. Interea Saxonie Elector fortunæ, quæ in Saxoniam reuerso propitiâ se dederat, diligenter instabat: Cæsare interim cunctante, & certam in ipsum vindicandi occasionem circumspiciente. Postquam vero de clade & captiuitate Alberti Marchionis Brandeburgici accepit, Vlma discessit, & Saxoniam versus iter instituit; sed vehementissimis podagræ vexatus doloribus, Norlingæ aliquamdiu substitit, exigua cum spe sanitatis recuperandæ. Vidisses tum hæreticos cristam rursus erigentes,

a Sleid. lib. 18.